

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Philippo Eberbaccho Philippus Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Philippo Eberbaccho Philippus Me
lancthon S. D.

*Schlegel vita
Langeri p. 210.*

Gratulor tibi mi Philippe, cōiugium, optoq; ut
incepto faueat Christus. Es enim uitæ genus labo-
riofum fortasse, at sanctū ac piū ingressus. Scis es-
se quoddam nouum Monachorū genus, *μισανθρῶ-
πας τινὲς θεολόγους*, qui sibi mirificè religiosi ui-
dentur, dum impudentissimè insectantur et execrā-
tur cōiugium: ego uerò cum cogito, uitæ sociam ui-
ro diuinitis, & uiri partem mulierem esse factam:
non possum non uehementer irasci his, qui non om-
ni officiorum genere muliebrem sexum prosequun-
tur. Me quidem in communibus huius uitæ neces-
sitatibus non leuiter consolatur hæc cogitatio, quòd
sentio quiduis uiro perferèdum esse, dum illi sociæ
uitæ, dum liberis, quorum causa uidemur in coniu-
gium ingressi, consulat. Nec mediocre beneficium
me diuinitis accepisse statuo, quòd materiam de-
dit, de muliere bene merendi: quòd sobolem etiam
ex illa donauit. Proinde opto, ut cōiugium sit tran-
quillum, foelix & fortunatum: & ut alacri animo
sanctissimā sarcinam, si quid fortasse uidebatur o-
neris, perferas: et illam uxorem tuam, putes esse nō
modò tuam, sed etiam eiusdē gratiæ (ut Petrus dicit)
tecum participem. Ego in subito huius tabellarij a-
bitu nō habebam quod mittere muneri, uerum cu-
rabitur. Interea habeto hanc epistolam, pignus uo-
luntatis

luntatis meae: quam spero gratam fore propter amicitiam nostram. Nondum enim memoriam ex animo effluxisse arbutor. Nihil facies religiosius, quam si summa fide & cura puero primas literas doceas, quæ certè & uirtutis & religionis sunt incunabula, & elementa. Mittimus ad te adolescentem nõ leuiter doctũ, ut petijsti per literas à Reiffenstein. Is tecum philosophari Græcè & Latine poterit. Mores sunt candidissimi, & non contemnenda facultate docendi præditus est. Vale.

Chiliano Reiffenstein Philippus
Melanchthon S. D.

Cum Martinus noster profecturus esset isthuc, dedi ei duo exemplaria Rhetorices, exhibēda tibi, & filijs tuis, quibus dedicaui: teq; rogo, ut exiguum munus boni consulas. Nondum perpoliui hos libellos Dialecticos & Rhetoricos. Impedior enim maximis & miseris negocijs, ut scis. Si quid tamē contigerit ocij, breui uirosq; recudi curabo, ita ut non multũ desideraturi sint homines docti. Certè ad iudicandum spero hos libellos nunc quoq; parimum conducere. Sed iudicium tibi uiro doctissimo et prudentissimo relinquo. Scripsissem filijs, nisi cum hæc scriberē, miserrimis & acerbissimis doloribus suissem oppressus. Amabò te, si quid afferes de Francofordia, aut alijs rebus, quarum me cupidũ esse scis,

per